DE SYPHILIDE

ATQUE

DE EXTRACTU ACONITI NAPELLI

IN VARIIS EJUS FORMIS CURANDIS.


VERBA

QUAE LEGEBAT

DIE EJUS AD MEDICAM LAUREAM PROMOTIONIS

VINCENTIUS BACCO

VEN. EX TARVISIO.



VENETIIS

EX TYPOGRAPHIA FRANCISCI ANDREOLA

1838.

MEMORIAE · ET · HONORI

CASPARIS · GHIRLANDA

APVD

REGIAM · DELEGATIONEM · TARVISII

MEDICI · SPECTATISSIMI

ATHENAEI · EIVSDEM · CIVITATIS · A · SECRETIS

PLVRIMARVM · ITALIAE · ET · EXTERARVM · ACADEMIARVM

SODALIS

OPERIBVS · EDITIS · CLARISSIMI

INGENIO · SCIENTIA · ARTE · ET · HVMANITATE

AEQVE . ILLVSTRIS

DE · TANTA · IACTVRA · SVMMOPERE · DOLITVS

HOC · PRIMVM · STVDIORVM · SVORVM · SPECIMEN

QVI · PVBLICI · IVRIS · FIT

QVASI · ARAM · CONSECRAVIT

VINCENTIVS BACCO.

Virus venereum partibus, quaecumque afficit, ruborem, calorem, tensionem, dolorem, uno verbo phlogosim, vel inflammationem infert.

ASTRUC — De morbis venereis.

Vis illa atque cupiditas, omnia semper inquirendi, resque novas perscrutandi, quae nostrum saeculum ad perfectionem, ut ita dicam, perducit, vel, ut Itali ajunt, classico munere cohonestat, quaeque scientias cogit atque impellit ad naturam penitus investigandam, suisque arcanis laboribus intentam, improviso veluti circumveniendam, phaenomena legesque manifestat, quibus possit, a quolibet atomo, aura qualibet et calamo, utilitatem vel delectationem percipere, haec eadem vis atque cupiditas, si in causa est cur mens Philosophi naturalis historiae periti poeticas suscipiat indagines, efficit etiam, ut ferveat quodammodo in animo Philosophi medici, eumque ad serias meditationes incitet atque inflammet. Quot unquam quaestiones nostra hac aetate exortae sunt de pluribus pathologicae et practicae doctrinae argumentis? Quis unquam inter veterem et recentem medicinam intercedit tractus? Grandia prorsus ingenia atque praeclarissima tenebras illas densissimas removere, quibus tot annis volventibus theoriae quaedam tanquam verae a tot seculis recognitae ab-

ducebantur, atque ita effecere, ut falsitas atque inde consequens inanis hujus eruditionis damnum ante oculos omnium versarentur. Pathologicum omne atque therapeuticum quantumcumque est aedificium, clarissimorum hominum praegrandi labore atque virtute excussum, prostratum dejectumque fuit, inter quos, ut caeteros silentio praeteream, principem tenent locum anglus Thompson, gallus Broussais, atque inter italos Rasori et Tommasini. In praestantis hujus instaurationis vortice, atque in hac scientifica analysi morbus etiam recensetur, de quo aliquid Vobis dicere statui. Cumque de meis viribus humiliter sentirem, haud prorsus mihi visum fuit curriculum sane periculosum mundi scientifici percurrere, quin auctoritate, et observationibus fretus essem summorum hominum, qui vobiscum, Professores amplissimi, labores simul impendunt, ut hominibus opem ferant scientiisque incrementum. In hoc solummodo sperandum mihi censeo, fore ut vestrum venia non indignus existimer.

§ 1. — Nonne virus suapte natura irritans est origo syphilidis? Essentiales variae ejusdem formae conditiones, habent ne quid peculiaris, et peculiaria remedia sunt necessaria? Adest in venereis affectionibus consecutivis, virulenti agentis interventus, quod utpote easdem produxit, conservare etiam valeat? . . . En praecipuae questiones, quae hodiedum de venereae luis natura agitantur, et quas ego seria animi meditatione perpendi.

Syphilidem virus producere, hoc praeterea facultate irritanti praeditum esse, satis in comperto habemus: idque nobis testatur rubor ille, inflammatio, atque etiam dolor, quibus mucosa urethrae ab ipso inquinata afficitur, unde secretio illa mucosa valde abundans exit, cujus stillicidium gonorrhaea appellatur. — Sed objiciet fortasse

quispiam, cujus elementi causa virus venereum irritans habeatur et sit? Hisce verbis opinionem suam exponit Calderini loquens de essentia deleterii hujus principii: — » L'umore generato da un ulcere venereo, o da una membrana in istato di blenorroica infezione vuolsi considerare, » dic'egli, composto di diversi elementi, tra i quali uno » deve essere una sostanza sottilissima di natura stimolante, che non mostra di cader sotto i sensi che per » gli effetti che produce, effetti poco dissimili da quelli » che può generare un qualunque altro veleno (1) ». — Transalpina microscopica detectio, quam videre est in Annalibus medicinae celeberrimi Omodei (2), aliquam hic afferret lucem ad densissimas mysterii hujus tenebras, si fieri posset, removendas. Dominus Donné, in Accademia scientiarum Parisiensi mense septembri anno 1836, memoriam suam perlegit, quae in textu habet: — *Animaluzzi entro alcune materie marciose.* Enarrat ipse, materiam separatam circa glandem, primitivis ulceribus affectum, vel a simplici balanite, nec non materiam fluxus vaginae, sibi praebere parvula animalia viventia, quae summam habent analogiam cum *Vibrio Lineola* ex Müller, quod tam faciliter, tot inter infusiones efficitur; insuper asserit, materiam, a quacumque alia corporis parte separatam, nunquam sibi exhibuisse hujusmodi analogiam; talem vero ab ulcere primitivo glandis collectam, quaeque vibriones inoculata continebat, papulae originem dedisse; ac denique, hac papula reclusa, atque humore existenti collecto, innumerabilem quantitatem horum vibrionum microscopio

(1) Vedi il suo Prospetto clinico sopra le malattie veneree ec. Milano 1835.

(2) Vol. LXXX, ottobre e novembre 1836, pag. 323.

praebuisse. « L'esistenza di questi animaletti, sic detector paulo postea interrogat, « ha ella un nesso colla natura » della sifilide, coll'indole specifica dello scolo ?... Egli » è ciò che ancora non si può dire » sic ille respondet. Sed fieri unquam poterit, ut haec animalia, in partibus genitalibus deposita, tanquam in agendi ratione specifica, specificam irritationem vel phlogisticum processum excitare valerent; hunc vero processum, puri pariter specifico originem dare, semper tamen irritanti? Auctoris observatio, nempe « che il liquido nel quale vive questo ani» maletto è acidissimo » nos inducit, aliquo inhaerentes fundamento ad hanc conjecturam faciendam. Posset ne in suspicionem nostram cadere, solis tantum infusoribus localis irritationis explicationem creditam esse, quae syphilidis primitivae formam constituit; puri vero ab iisdem generato, atque a lymphaticis vasis absorpto alterius formam tribuendam esse? Non est certe probabile hujusmodi vermiculos a vitalibus viribus vulnerari non posse, ut admittamus ipsos quoque absorptos in circulum delatos fuisse, atque hic et illic ad novas irritationes concitandas esse depositos: si vero hanc immutabilitatem virus habere consideremus, certum est, hoc regulis sanae logicae non repugnare, quin imo quaestio est a majori parte scriptorum morbi celtici habita, atque factis ipsis comprobata ut videbimus. Haec autem propositio praeterquam quod auctoritati et ratiocinio innititur, ab observatione etiam Auctoris confirmata esse videtur, qui ait: « la marcia del bubone » sifilitico, quella delle ulceri secondarie situate in tut» t'altro luogo, fuorchè sulla ghianda, non contengono » animaluzzi ». Nec factum luis primitivae universalis hypothesim hanc infirmare non potest; dum asserere nobis licet hoc in casu, avidam habere locum absorptionem,

vel solius puris irritantis antea producti, vel si etiam volumus, ejus infusorum, sed haec in regionem ipsis extraneam traslata, quaemadmodum est rete lymphaticum quoad superficies mucosas, cito citius moris. Huic adde, eventum practicum, gonorrhaeam atque chronica ulcera non semper exhibere eam materiam quae apta sit ad morbosam irritationem producendam in sanis superficiebus quae ab ipsa asperguntur; hoc explicari potest ex eo quod pereant haec parvula animalia, aut pus acidum venereum dilutum evadat a consequente alcalino; dum quanto magis suppurans affectio chronica est, eo magis pus ab eadem generatum characteres muci physiologici acquirit, qui, juxta ipsius Donné observationes, alcalinis proprietatibus praeditus est. Cum trepidatione has hypotheses in medium affero; sed mihi spem addit dictum illud Helvetii: *la crainte d'avancer une erreur, ne doit pas nous detourner de la recherche de la vérité.* — Interim tamen quodcumque sit principium hoc venereum, certum est, a suis effectibus irritans nobis exhiberi. Atque ab exemplo simplicissimo discedentes, quod quotidie nobis ante oculos ponitur, urethritidis, ubi mucosa urinarii meatus ab ipso sit inquinata, nos possumus deducere quae sit offensio ad remotas illas localitates adlata, ubi scilicet oculus introspicere nequit: sed intellectus cui simplices eventus duces sunt ad judicium factorum magis complicatorum proferendum, potis est, vi hujus facti, hanc offensionem detegere. Satis est actionem sequi hujusmodi agentis, initium ducentes ab illo temporis momento, quo immediate operatur in illam partem cui adplicatum fuit; deinde in suis progressibus comitari; varias ac successivas productiones perpendere, quibus locum edit, quum post majus vel minus ab ejus inoculatione intervallum, vim

suam et potentiam in partem proximiorem vel magis distantem diffundit, per quam sibi aditus patuit ad omnem constitutionem penetrandam, et veritas per se ipsa patebit. Si vero venerea virulentia, sub coitu impuro, cum partibus genitalibus adjungatur, atque ad easdem accedat, post nonnullos incubationis dies, actionem ejus irritativam demonstrat; et vel mucosa urethralis et vaginalis aspersa fuit, et tunc prodit adparatum symptomaticum urethritis et vaginitis; vel externae partes affectae sunt, tunc vero processus glandis exulcerantes, nec non praeputli, parvorum magnorumque labiorum, nomine cancri appellati in medium proferuntur. Formae hae primitivae syphilidis, ceu labores isti localium phlogosium in infectis partibus commorantes, veluti officina infectionis considerandae sunt, in qua, vel virus venereum pus ejus naturae sibi elaborat, vel per continuam vibriònum actionem magis augetur, quodque, sibi ipsi relictum, aeconomiam omnem certe corrumpit. Ab iis revera absorbentibus vasis delatum quae in affectam partem evolvuntur, atque in ganglia lymphatica inguinalia, vel eadem simpliciter irritat, et tunc gurges humoralis prodit, vel vivide inflammat, et ad exitum suppurationis transeunt. Interdum etiam infectionis processus in cystim urinariam atque in testiculos vires suas fundit, et tunc excitat cystitem vel orchitem. Progressu vero, in universali humorum cumulo, vel actionem suam in cutem explicat, et prodeunt exanthemata, impetigines, herpetes ulcerosi et crustosi, qui tot nominibus appellati sunt, quot varii sunt eorundem adspectus; nunc fauces afficit, velum-pendulum, tonsillas, gengias, et tunc illarum partium mucosa sedes fit phlogoseos, ulcerum fagedaenicorum, excrescentiarum; vel ad ossa usque permeat, et ad tunicam quibus stricte vestiuntur, eadem

doloribus afficit, inflammat, in compagine perturbat, atque ita species illas generat luis venereae quae variis nominibus nuncupantur, dolores osteocopi, exostoses, periostoses, caries, atque necroses. Nec silentio praetereundae sunt multiplices illae hypertrophicae vegetationes, quae interdum, in aliquo cutis tractu, et praecipue in partibus genitalibus atque ad anum exeunt, quaeque ex diversa eorum forma, *condylomata*, *cristae-galli*, *verrucae*, appellantur.

Ilias haec formarum syphiliticarum, quae consequentes sunt impuri concubitus, nonnisi veluti series inflammationum, vel sub-inflammationum spectanda est, quae actione illa irritante viri, quod in infectis partibus vidimus effici, excitari solent. Quod vero sint verae phlogoses plus minusve intensae, magis vel minus profundae vel diffusae, ex omni parte probatum est; scilicet, et ab irritanti causa quae easdem produxit, et a symptomatico adparatu quo externantur, ab exitu tandem ad quem pleraeque perveniunt. Quid aliud unquam essentia pathologica decidit morbi theorice spectati, nisi nocivae potentiae naturam quae easdem produxit, phaenomena quae explicationem comitantur, exitus ad quos tendit? . . . Specifica est actio contagii venerei; sed, sicuti demonstrabatur, irritans. Si irritans, certum est pariter, morbos ab ipso generatos charactere et natura illarum affectionum praeditos esse debere, quae sub aliarum multiplicium causarum influentia ad hunc ordinem referendarum evolvuntur; si vero illae veluti irritativae ac inflammatoriae consideratae sunt, hae pariter irritativae et inflammatoriae recensendae erunt; nam quod ab irritativa actione viri venerei excitatae sint, magis quam ab illa communium potentiarum, quae valeant phlogosium incendia excitare, minime sane confirmat, in

earum essentia aliquid peculiare spectari debere. = Quod vero spectat ad identicitatem symptomatum, nil sane magis congruens inter communes et venereas inflammationes. Quis enim poterit omni prorsus certitudine probare, simplici symptomatum adspectu, urethritidem illam, angioleucitidem inguinalem, universalem lymphangioitem, anginam gutturalem, craneam osteitem, sternalem, tibialem etc. a venerea infectione potius, quam ab ordinariis potentiis esse generatas? Idem Hunter frustra conatus est signa exhibere ad distinguendos venereos bubones ab illis qui a quacumque non venerea irritatione urethrali originem habent; dum prof. Andreas Vaccà in venereis bubonibus eadem symptomata recensuit quae ab Anglo non venereis tributa sunt, ac viceversa, ita ut ab ipsis nil certi comparari possit. = Neque minus differunt ob exitus quibus subjiciuntur: urethritis tam simplex quam venerea, ubi non resolvatur, indurescit, spissior evadit mucosa urethrae; bubones venerei vel obdurescunt vel in abscessum componuntur, quemadmodum simplices phlegmasiae gangliorum lymphaticorum inguinalium; anginae gutturales, atque ossium inflammationes eosdem habent exitus, etsi ab inveterata lue venerea, aut cujusvis potentiae actione procedant. = Ex qua phlegmasiarum venerearum cum communibus comparatione demonstratum est, luem veneream, quolibet adsit adspectu, nisi *specificae* inflammationis symptomata exhibere, quae a syphilitico contagio atque actione ipsius irritante et producitur et confirmatur: vocantur vero *specificae* ejus phlogoses, non quia a simplicibus natura sua differant, sed quia specifica causa est ex qua producuntur, nempe in essentia ignota, sed talis characteris, ut eundem semper, non diversum generet morbum.

Haec vero sententia est, quam de syphilide plerique

ex Medicis tenent, et amplectuntur: Hahnemann, Fritze, Hufeland, Hecker, Wendt etc. in Germania et Anglia; Jourdan, Richmond, Devergie etc. in Gallia; in Italia denique Tommasini, Giacomini, Calderini, Festler etc. qui omnes concurrunt in admittenda in syphilide inflammatione specifica, a particulari vi irritanti venerei contagii, nec non a reactione partis morbosae producta et generata. Neque sane aversantur ab ortu venereae luis explicando, absorptionem atque virus exportationem in humorum congeriem admittentes, et per consequens morbosae ejus actionis diffusionem in partes remotas, tum in illas quae arctissimo nexu cum organo prius affecto conjunguntur, cum illas magis distantes, quae actionem contagii recipere valent; in hoc magis logici plerisque transalpinis, utpote Jourdan, Doubled, Le Fevre, Richmond, Devergie, qui negant, in phoenomenorum productione morbi venerei agentis virulenti et contagii praesentiam, causas solummodo potentiis nocivis communibus tribuentes. Accidentia vero venerea consequutiva, per reflexionum theoriam, per irritativas repercussiones, ut ita dicam, explicant; affectionibus nempe venereis primitivis ex coitus nimis exagerati irritatione productis, tribuunt vim ac potestatem sympatice repetendi in alias partes acceptam impressionem, quae iterum sympatiam alteram exercere possunt, atque ita humanum organismum a syphilide infectum, veluti luctuosi ludi theatrum statuunt, in quo invitationes ad invicem in causa sunt cur forma haec morbosa, ex organo in organum, ex systemate in systema erret atque divagetur; speciosa sane explicatio, quae tamen facto atque experientia refutatur. Ex factis unum quod plus valeat ipsi obstare, ut ego censeo, illud est, possibilitas nempe luis venereae primitivae, nempe absque infectionis localis praece-

dentia interventae. Ad rem nostram maxime facit atque interest casus ille a Professore Signoroni delatus in ejus Clinico Prospectu (1). Haec vero ratio primitivae diffusionis confirmatur pariter a celeberrimo recenti scriptore de morbis venereis, nempe Lagneau, qui postquam asseruisset: virus venereum explicare generatim in partibus quibus adplicatur specificam irritationem, magis vel minus intensam, quae characteres induere paratur localis perturbationis ex qua virulentia exorta est, quæ tactu suo eamdem excitavit, quod morbidae alterationis speciem constituit, et quam sub nomine symptomatum primitivorum aut invasionis agnoscitur, ait: — » *neanmoins, dans* » *quelques circonstances fort rares, le point de la surface* » *du corps, sur le quel le principe contagieux est introduit* » *dans la circulation, lui livre passage sans qu' il s' y ma-* » *nifeste le moindre signe d' excitation.* » — Hic vero quomodo probare possumus, sympaticae irritationis theoria, universalis luis praesentiam, absque localis infectionis praecedentia? Et si virus admittamus, quomodo unquam explicabimus, quin pariter nobis concedatur principium hoc alicui alterationi subjectum haud esse quum ab atrio genitali ad illam localitatem transit super quam potestatem irritativam exercere cupit? . . . . Ex quibus omnibus haec usque expositis sequentia corollaria deduci possunt: luem veneream a viro originem habere; actionem hujus viri, absque dubitatione irritativam esse; hoc virus absorptum, in humorum congeriem vagari; irritationem ab ipso excitatam definiri posse conditionis phlogisticae gradationem; quamlibet formam veneream, diversum gradum in hac con-

(1) Cap. V. Sifilidi, pag. 97. Padova 1836.

ditione occupare; juxta vero gradum hunc varias syphilidis formas ordinatas, processuum morbosorum progressivam seriem sistere, quae ex simplici vitalis actionis exaltatione, quae ad nutritionem activandam tendit, variisque dat locum hypertrophicis vegetationibus, ad veras inflammationes aut catarrhales aut exulcerativas transire; hasce denique a simplicibus non diferre, si propensionem aliquam ad chronicitatem excipere velimus, nisi quia ab irritante venereo principio, quod easdem suscitaverat, producuntur atque confirmantur.

§. 2. — At vero quoniam nulli pretii ea est theoria, quae in arte exercenda praesto non sit, et quae lucem non reflectat in hanc praxim, gradus hic nobis faciendus erit a ratiocinatione ad experimenta. Itaque videamus oportet utrum ne practica facta confirment aut denegent ea quae de natura syphilidis huc usque exposuimus. — Sic theoria et praxis pari passu incedent, post habita omni contentione excellentiae et dignitatis, quam illa in hanc objicere vellet. Tali modo altera verae sapientiae sedem occupabit; altera a sana ratione firmiter suffulta progrediens in experimenta, illum offerat severitatis characterem, eum gradum certitudinis, quo nunquam gavisa est; et in hunc gloriae curriculum insistens validissime procedet. —

Id autem cum nos ex nuper expositis theoriis derivemus et admittamus: syphilidem nempe esse communem inflammationem vel sub-inflammationem a principio irritanti viri syphilitici excitatam, id etiam manifestum apparebit, quod ad varias ejusdem morbi formas curandas ea in usum advocari debeant quibus utimur in affectionibus generis ipsius vincendis, methodus nempe antiphlogistica. In hanc sententiam universi conveniunt et Medici et

526

Chirurghi, vel certe ii qui sunt nudae veritatis amatores. Angli Rose, Cuthrie, Thompson, Hennen, Harris Americanus, Galli Richmond et Devergie in sua *Clinique de la maladie siphilitique* testantur multos syphiliticos perbrevi convaluisse sola cura antiphlogistica, hac quidem sumpta in latiore verbi sensu, nempe ope sanguinem evacuantinm seu generalium seu localium, potionibus sudoriferis et relaxantibus, et diaeta severa. Sed peregrinis auctoritatibus relictis, Carolus Doct. Calderini, Medicus-Chirurgus in syphiliticorum valetudinario Mediolanensi, mirabiles venerei morbi curas habuisse, soli methodo antiphlogisticae tribuendas, praedicavit. Imo etiam ex curarum comparatione per hunc Auctorem edita in suo Prospectu Clinico (1), id compertum apparet, quod aegri syphilitici solis mercurialibus tractati intra 53 dies pro media proportione convalescant; alii vero tractamini antiphlogistico puro submissi intra 31. diem sanentur: ex qua relatione nemo non videt quantum therapia antiphlogistica majori vi et efficacia polleat prae mercuriali. — Mercurium autem remedium non esse specificum contra syphilidem; hunc morbum naturae inflammatoriae evinci posse ope remediorum anti-phlogisticorum non mercurialium, ipse jam e sua cathedra Prof. Tommasini declamabat. — Et Medicus Primarius Nosocomii Patavini F. X. Doct. Festler, in morbo de quo agimus methodum deprimentem felicissime sequitur; hanc tamen saepius in connubio cum mercurialibus, quibus ille actionem contra-stimulantem tribuit in vasa praeprimis capillaria arteriosa, et peculiarem virtutem electivam contra inflammationes syphiliticas; sic enim

(1) Op. cit.

et ille tenet « che il principio generatore del morbo si-
» filitico irritando i tessuti, desti nei medesimi una rea-
» zione capace di render ragione dell'indole flogistica di
» quello. » (1) — Nec diversae evadebant observationes et experimenta in hac parte practicae pathologiae Medico-Clinico Nosocomii Tarvisini, Clar. Doct. Liberali, qui per suum illud opus quod publici juris fecit, *sulla condizione flogistica della manìa pellagrosa*, jam Reipubblicae Medicae innotuit, optimo exitu tractabat morbos syphiliticos ab anno 1832 cum methodo curae deprimenti, longius aut brevius continuata, et in eam progrediendo pro circumstantiis, proscripto quolibet mercuriali praeparato; ipse enim sibi persuasum habebat, phlogoses a syphilide excitatas eodem sub aspectu esse considerandas, ac quae a communibus potentiis derivant. Quid ultra? Blasius ex Upsal multas refert syphilides universales plane sanatas mediante *cura*, sic dicta, *famis*, nempe sola diaeta severa, et usu aquae. — Quod si nos ad antiquiora tempora invisenda vertamur, si ad eam curandi methodum intendere velimus, qua sapientissimi illi practici usi fuerunt, nobis perspectum erit quod ii cum Medicis nostrorum temporum perfecte conveniunt. Et revera, scimus nullam unquam antivenercam curam fuisse susceptam nisi a *praeparatoria* incohatam. Haec autem perficiebatur purgantibus blandis, potubus relaxantibus diluentibus, et diaeta strictiori; neque mercurialia propinabantur quin antea aeger eorum actioni tali pacto oportune disponeretur. Ipsi Girtanner et Swediaur in hoc suadendo conveniunt; et ii omnes qui

(1) Vedi la sua Relazione clinica delle malattie veneree nei Comentarii di medicina di G. F. D. M. Spongia, marzo 1836. Padova.

certissimum pro syphilide remedium se se invenisse existimaverant, cui nulla hujusce morbi forma resistere valuisset « *Le Roob antisiphilitique de Laffecteur* » ii omnes inquam, necessaria monuere de aegri praeparatione ad mercurialium usum, et diaetam praeprimis, et purgationes, et potiones refrigerantes iteratas ut plurimum commendarunt. Quae consilia, quos usus, cum illi in id utilitatis redundare censerent ut efficacior cura mercurialis redderetur, et alacrior mercurii vis fieret in adgrediendo et extinguendo viro syphilitico cuilibet humani corporis parti subrepente; id ego existimo quod in nil aliud convenirent et juvarent nisi in hoc ut moderatam redderent atque temperarent eam irritationem quae in his partibus ab ipso viro fuerat excitata. Neque satis: etenim si scientiae progressus insistentes ratiocinari velimus de vero mercurialium agendi modo in animali aeconomia, aut illis actionem *irritativam* tribuamus, aut *contra-stimulantem* necesse est; si prius sit, admittemus curationem ab ipsis productam fieri ope irritationis cujusdam quam exerceant in organo remoto a sede phaenomenorum morbi venerei, quaeque irritatio pro intensitate et extensione alteram irritationem valeat suspendere; si posterius, mercurialia tamquam ypostenisantia erunt praedicanda. Ex his quae usque nunc diximus clare patet, illos etiam sapientissimos Practicos, a sola empiria rationali coactos, necessitatem probe novisse recurrendi ad regimen anti-phlogisticum in cura syphilidis. Patet praeterea, illorum methodum debilitantem mercurialem, nostrae anti-phlogisticae et contra-stimulanti prorsus respondére; id solummodo si excipiamus, quod dum illi maximam vim curandi mercurio tribuerent, firmiter credentes in illo virtutem inesse virus extinguendi, nos contra, essentiam morbi pathologicam intuentes, me-

thodo anti-phlogisticae principatum longe concedimus, et eam propterea majorem etiam in usum advocamus. Quod si illi vitio temporum nullum ex his theoreticum principium sat simplex et clarum de syphilidis essentia eruere potuerunt, id certe fieri poterat, vel imo debebat in hac nostra aetate in qua sana medica philosophia, observationes et deductiones certiores reddit, et scientiae progressus faciliorem jam viam straverunt. Enim vero, recentiores saeculi scriptores, quum vidissent tantam utilitatem a methodo debilitanti in cura syphilitica derivari, et tonica remedia aegris tanta afferre detrimenta, illam magis aptam theoriam de hocce morbo declararunt, quae basim irritativam in eo statuebat, proptereaque syphilidem morbum esse diatheseos ypersteniicae praedicare non dubitarunt.

Hisce fretus ideis theorico-practicis, quae factis arctissime nectuntur, quae ex iis per quam recte procedunt, etiam Doct. Liberali suam methodum curativam rationalem instituebat in omni affectione venerea seu primaria, seu consequutiva. Ipse suis semper principiis inhaerens totus in id ut veritatem inquireret et exponeret nulla alia auctoritate suffultam nisi observationibus et experimentis, regimen curae deprimens in quolibet syphilitico repetebat, simul cum usu *extracti Aconiti Napelli*. De quo postmodo verba facturi sumus. Ad hanc curae methodum incitabatur ab eventibus anterioribus, et in hujus gloriam Gubernativae Auctoritati offerebat in Prospectibus Noso-statisticis annorum 1833-37 hasce historias morborum syphiliticorum quos faciliter sanaverat absque ullo mercurii usu vel interne, vel externe: — I. periostitem syphiliticam in foemina 24 annorum; — II. dolores osteocopicos ad humerum post diuturnam blaenorrhagiam in foemina annorum 27; — III. alteram periosti-

tem syphiliticam ad sinistram tibiam in muliere annorum 38; — IV. dolores osteocopicos se se exacerbantes et recurrentes a longo tempore, non obstante usu mercurii prius exhibiti in viro 34. annorum; — V. rehumatismum syphiliticum in milite vectigali an. 49; — VI. blaenorrhagiam syphiliticam cum rhagadis ad anum in juveni maeretrice; — VII. dolores osteocopicos cum exostosibus ad sternum et ad tibias; — VIII. blaenorrhagiam et ulcera ad grandia labia cum scabie.

Ex hisce omnibus factis quae scriptores auctoritate dignissimi in medium attulerunt, ex quibus certo certius apparet syphilidem sanari posse simplici methodo antiphlogistica absque usu mercurii huc usque tanquam specifici contra hanc luem extimati, id nobis videtur posse absque dubio concludere, etiam ex praxi: quod ipsius natura pathologica consistit in processu phlogistico; quod evinci possit absque usu remediorum prout aliae phlogoses vincuntur; quod vera methodus fundamentalis atque rationalis sit tractamen antiphlogisticum; quod hypothetica prorsus sit virtus mercurii specifica; quod tandem cum hoc metallum individuum morbo gallico infectum sanat, tum agit tanquam simplex remedium anti-phlogisticum.

§ 3. — Quoniam ex huc usque expositis in omni adfectione venerea, tam primitiva quam secundaria, admittere debemus concursum principii cujusque irritantis, quod si morbum efficere valuit, eum quoque sustentare debeat, sequitur exinde quod in adfectionum syphiliticarum cura, praeter indicationem extinguendi, methodo generali et locali antiphlogistica, incendia phlogoseos ex hoc principio incoacta, eam quoque habebimus, principium hoc adgrediendi et abigendi veluti inimicum hospitem ex organismo quem inficit; eo quod nunquam in-

fringi poterit phlogosis alicujus organi producta ex. gr. a spina huic infixa, nisi prius haec removeatur.

Sed postquam uti veritatem inconcussam demonstravimus, syphilidem ad sanitatem perduci simplici methodo antiphlogistica, etiam sine mercurio, non licet amplius huic metallo actionem specificam in hunc morbum adtribuere, id est, hoc praeditum salutari facultate adgrediendi, neutrumque reddendi principium activum viri syphilitici in quaecumque parte corporis humani sedem figat. — Quomodo ergo ipsius eliminatio obtinebitur? Qui noviter nostros Practicos veteres consulit de modo therapeutico ab ipsis contra syphilidem admisso, facile reperit quod prius quam adhuc mercurium qua remedium anti-syphiliticum in usum traheretur et quoque postea, praeter purgantium potuumque diluentium praescriptionem, constanter decotiones Ligni-sancti, Sarsaparillae, Guajaci, uno verbo sic dicta diaphoretica propinabant; vel aegris commendabant suis ut cutaneam transpirationem tepido regimine promoverent. Hoc quotidie moderni faciunt, qui nunquam curam anti-syphiliticam puram et contra-stimulantem sejungunt a *diaphoretica*, quam potulentorum propinatione explent diaphoresim ciere valentium, aegros in calidis locis detinendo, et cum repetitis balneis calidis universalibus ad gr. 26 - 30 Reaumour. Habemus porro practicam observationem quo tempore vernali et aestivo morbi venerei citius ad sanitatem perducuntur; probabiliter eo quod magis activa est functio traspirationis cutaneae, imo copiosior sudor: nec aliam propter facultatem videntur ad famam remediorum excellentium anti-syphiliticorum potuisse adscendere in syphilidibus inveteratis et opium et ammoniacam (Raimann), nisi eo quod effectum curationis produxerint, quum actione sua

stimulante diffusiva copiosum sudorem determinaverint. Sudor est ergo benefica secretio in morbis venereis. Nunc, valet ipse uti simplex elementum anti-phlogisticum subtractionis? Vel simul, qua vehiculum contagio venereo organismum humanum relinquenti, posset esse? — Summis in arte judicium pronunciare fas est.— Nunc tenuis hujus operis ultima verba consecrare transimus de efficacia *Extracti Aconiti Napelli* in cura syphilidis.

Stoerck primus in se ipso actionem Napelli expertus est: a decima unius grani parte incaepit, et usque ad tertiam adscendit. — *Nulla inde actio corporis turbatur* (sunt verba experimentatoris); *id tantum adverti extrema, totumque corpus praeter consuetudinem, tota die multum transpirare et madere.* Ex quo concludit hujus plantae extractum transpirationem et sudorem provocare, seque ab auctoritate ductum putavit illud in therapeusi introducere. Quod non scripta fuere pro Aconito post memoriam Stoerck? Commendatum fuit in morborum iliade quos nostrum revocare non est: saltem dicam quod Stoerck ipse, Collin, Kaempf, Thilenius, Swediaur, Fritze, hoc cum felici successu in variis syphilidis sequelis usi sunt, ut in arthralgiis, exostosibus, tophis et similibus, vel simul cum mercurio, vel post ejusdem usum, vel etiam sine ullo additamento. Prof. Brera in suis considerationibus medico-practicis de usu hujus plantae facultatem ipsius praedicat in impetiginibus, et opinatur eam qua antidelitescens in syphilide juvare debere. Ad virtutem antisyphliticam Napelli magis magisque confirmandam occurrunt hic septem historiae citatae morborum syphiliticorum devictorum, et ad sanitatem perfectam perductorum in Nosocomio Tarvisino cum extractu viroso istius plantae; nec minus solemnes effectus habuit Doct. Festler quotiescum-

que in cura syphilidum, vel solum, vel praeparatis metallicis unitum in usum illud traxit. Et est vere mirandum, quod post omnia quae scripta fuerunt pro virtute therapeutica hujus pharmaci, Dominus Prof. Rayer (1) adeo in suis experimentis fortunam habuerit contrariam, ut ad honorem veri declarare coactus fuerit se, ne unum quidem morbum cognoscere in quo usus Aconiti Napelli aliquam mereatur praeferentiam, et propinatus dosibus medicinalibus, non nisi modo valde incerto phaenomena physiologica determinata, et varius effectus therapeuticos salutares et constantes producere. Sed nos, novum Gallum experimentatorem in sua opinione animo non invito relinquimus, et nostris effectibus satisfacientibus gaudemus.

Quaenam interea erit hujus praeparati actio in humano organismo? Agit ne velnti contro-stimulans? (Borda, Giacomini) Valet simul, diaphoresim promovendo, ad eliminandum venereum principium per cutis colutorium? Vel qua anti-syphiliticum, adgreditur neutrumque reddit principium venereum contagiosum? (Brera) Doct. Liberali, quum ex suis experimentis animadvertisset ubi communia diaphoretica, et plantas solventes, et locales emollientes adplicationes, et sanguineas depletiones inanes evasisse, aut effectum insufficientem edidisse, extractum supra indicatum triumphasse, illud qua excellens remedium anti-syphiliticum praedicare coactus est, et illius actionem cum Stoerck et Collino illi mercuralium praeparationum conformem aestimare. Et sicuti, quod est

(1) Vedi Dizionario di Medicina, Chirurgia e Farmacologia pratiche, prima edizione Italiana; Art. Aconito.

magis, efficacia ejus therapeutica majori energia constanter in syphilidibus, alterationibus ossium conjunctis innotuit (exostosi, yperostosi), rationi erat consentaneum huic remedio suam propriam electivam actionem tribuere, sicuti in pertinentias cutanei textus a Clar. Prof. Brera, etiam in illam partem ejusdem, quae ossium longorum superficiem constituit.

Et quoniam puto in Medicina, sicuti in omni alia parte humanae scientiae, nunquam exuberantes illas esse observationes, illaque facta, quae ad publicandam et confirmandam veritatem aliquam conspirant, ita opinor ad majorem gloriam methodi antiphlogisticae extracto Aconiti nuptae, in curam variarum syphilidis formarum, historiam hic exhibere *osteitis syphiliticae*, quam egomet feriis autumnalibus anni elapsi a doct. Liberali solemniter curatam vidi absque minima mercurii molecula. Haec historia porro simul cum secunda quam paullo antea citabam, dolorum osteocoporum ex blenorrhoea, est magni momenti relate ad quaestionem e Medicis a Chirurghis adhuc agitatam, an contagium gonorrhoicum sit nec ne identicum syphilitico, sive illi quod luem producit. Plures Medici reapse excellentes, Halles, Tode, B. Bell, et ipse P. Frank hanc identitatem contagii non admittunt. Sed plurima exempla syphilidis universalis ex simplici blenorrhoea enatae, relata a G. Hunter, Fritze, Cullevier, Swediaur, A. Vaccà, Rosen, Lagneau, Thierres, Lombard, Barbantini, Signoroni, et haec duo quae hic referimus, primam opinionem rejiciunt, et pro opposita deponunt, illa nempe identitatis duorum principiorum, et omnem ulteriorem medico-chirurgicam discussionem impedire sat esse deberent.

Historia osteitis craneo-maxillaris et tibialis ex infectione gonorrhoica.

Subjectum istius historiae est A. C. Tarvisina, annorum 35, quae Nosocomio civili recepta, ostendebat ad prominentiam dexteram ossis frontalis, ad angulum maxillae inferioris, et ad tertium inferiorem tibiae lateris ipsius, aliquas osseas excrescentias sensibilissimas sub laevi pressione, et tot centra dolorum constituentes qui, dum diu vix eam molestabant, fortissimi et terebrantes insurgebant vespere, et praecipue sub tepore lecti, ut noviter horis matutinis remitterent: febris nulla aderat, aut vix sensibilis. Relate ad volumen illarum excrescentiarum notandum quod tophum maxillare adeo extendebatur ut difficilem et dolentem maxillae demissionem redderet. — Illi ossium tumores, character doloris illorum, et magis cognitio praegressae infectionis syphiliticae gonorrhoicae, dubium de praesentia syphilidis sive luis universalis haud admittebat, quae in scenam ponebatur sub forma exostoseos, nodorum sive tophorum syphiliticorum doloribus osteocopis conjunctorum. — Determinata itaque forma syphilitica, Medicus Clinicus Nosocomii qui, uti vidimus, usque ab anno 1832 extractum Aconiti Napelli in omnem syphilidis formam experiebatur, hujus remedii novo in casu usum repetebat. A suis praeconceptis de morbi diathesi ductus, curam incipiebat moderans symptomata inflammatoria localia, et universalem hypersteniam ope potuum relaxantium et evacuantium, et regiminis temperantis. Propinabat ergo primis diebus curae infusionem florum Sambuci cum Tartaro stibiato, et decoctionem Astragali cum aqua coobata Lauro-cerasi; praescribebantur porro hyrudines ad

exostosim tibialem quae magis quam aliae dolorem aegrae causabat; diaetam austerissimam ordinabat, et aegram a frigore et humiditate defendebat. — Instituta sic cura praeparatoria evacuante-antiphlogistica, ad extractum plantae virosae transibat a 3. gr. incipiens et s. sensimque de die in diem ad 12. gr. perveniens; cujus dosis, minime mucosa gastrica perferrente, decrescebat, continuando semper in praescriptione aquae Lauro-cerasi in consueta decoctione Astragali. Propter hanc therapiam, diaetae severae conjunctam, tempore brevi 15 dierum ameliorationes solemnes obtinebantur; mites evadebant dolores nocturni, imminuebatur sensibilitas morbosa sub pressione, et volumen notabiliter exostosium, et praecipue tophi maxillaris, qui oris aperitionem facilem et indolentem concessit. Ad osteo-periostitem vero tibialem infringendam, quae valde rebellis tractamini universali ostendebatur, replicata pluries fuit hyrudinum adplicatio, et cum utilitate maxima. Complanatis sic illis exostosibus post curae mensem, ut vis sensibiles digito exploratori persentirentur, suspensa potione diaphoretico-antiphlogistica, progrediebatur in administratione extracti virosi dosi 8. granorum, et diaetae augmentum aegrae insistenti concedebatur. Sed organa digestoria languida facta a diuturna Aconiti actione, et a diaetae parcitate, nimis cito alimentis onerata, male ad perfectam digestionem potuerunt contribuere; aegra itaque passionem gastricam habuit, quae cum adparatu symptomatico febris gastrico-irritativae ostendebatur, ad quam vincendam solutio salina adhibebatur; hinc potiones laxativae, et diaeta tenuis. Postqnam vero animadvertimus febres in suis exacerbationibus decursum accessionalem assumpsisse, statim sulphas Chininae dosi continuata propinabatur; exinde aegra ad pristinam perfectamque salutem edibat.

Ex omnibus, quae exposuimus deducitur methodum antiphlogisticam simplicem in cura omnium venerei morbi formarum sine mercurio maximam ostendere utilitatem, nec non summam esse Extracti Aconiti Napelli efficaciam. Verum quidem est valde raro syphilidem per se rebellem et laethalem evadere; sed est morbus magni momenti propter causas periculi quae ad indolem spectant subsidiorum huc usque adhibitorum ut sanaretur. Ideo, curam simplicem reddere, auferre aegris molestiam tantam, quam secum fert mercurii tam interna quam externa per cutem propinatio, tristes effectus hujus metalli in organismum nostrum introducti posse evertere, id ab omni a scientiae amore praerepto est agendum; in hoc ab omni qui humanitatis optimum bonum exoptet enixe intendendum.



THESES DEFENDENDÆ.

I.

In Medicina, quemadmodum in aliis scientiis, ex idearum attritu, ex conflictu systematum, scintillae evolvuntur veritatis, quae aliter aeterne laterent.

II.

Systemata et hypotheses tamquam scientiae gradus ad perfectionem consideranda: hinc stulti qui illa spernunt, incauti qui illa nimis studiose amplectuntur.

III.

Phtysis psychice contagiosa.

IV.

In inflammationibus crassities atque densitas crustae sic dictae phlogisticae, phlogosometron fallax.

V.

Medicus nec audacter haemato-philus, nec nimis haemato-phobus.

VI.

Pulsus dux saepe infidus.

VII.

Mania pellagrosa ex aracnoitide.

VIII.

Extractum Aconiti Napelli in osteite syphilitica efficacissimum

IX.

Febres accessionales, nisi legitimae, aut ab irritatione gastro-enterica, aut a chronica quadam phlegmasia aluntur.

X.

Haud semper laesio functionalis alicujus organi, ipsius alterationi instrumentali sive anatomicae arcte respondet.

XI.

Vis vitalis naturae, intima in morbis organorum biopathia, essentia therapeutica pharmacorum, tria medicinae mysteria.

XII.

Acidum hydrocyanicum facillime decomponitur, hinc ipsius actio in animali aeconomia incerta ac variabilis.

